

est. Igitur ex hoc loco divi Thomæ nihil aliud habemus, nisi concursus generalem Dei esse necessarium, etiam ad voluntarios motus.

Et hoc idem est, quod in eadem 1. 2, q. 9, art. 4, ad 1, ait: *De ratione voluntarii est quod principium ejus sit intra; sed non oportet ut hoc principium sit primum principium non motum ab alio. Unde motus voluntarius (ait), etsi habet principium proximum intrinsecum, tamen principium primum est ab extra; sicut et primum principium motus naturalis est ab extra, quod scilicet movet naturam.* Quod totum certissimum est et sufficienter verificatur ratione generalis concursus, ut explicatum est. Quamvis etiam intelligi possit ratione naturalis inclinationis inditæ ab auctore naturæ, a qua est primus voluntatis motus, quo tendit in finem, de quo ibi D. Thomas specialiter loquebatur, ut inferius tractando corpus illius articuli videbimus. Atque eandem doctrinam repetit in eadem quæstione, artic. 3, in corpore, et ad tertium; quem locum infra etiam expendemus; pertinet enim ad secundum caput supra positum.

Sextus ergo locus adducitur ex eadem 1. 2, q. 10, a. 4, in quo divus Thomas quærit an voluntas moveatur ex necessitate ab exteriori motivo, quod est Deus. Probat autem affirmantem partem in argumento tertio, quia alias sequi posset unum impossibile, scilicet, ut voluntas non velit hoc ad quod Deus eam movet, quod est impossibile, quia alias operatio Dei esset inefficax. Respondet autem in solutione, in summa negando sequelam: *Quia (inquit) si Deus movet voluntatem ad aliquid, impossibile est poni quod voluntas ad illud non moveatur; non tamen est impossibile simpliciter: unde non sequitur quod voluntas a Deo ex necessitate moveatur.* Per quam solutionem putant esse aperte traditam et probatam a divo Thoma distinctionem illam de sensu composito et diviso, prout ab his auctoribus ampliatur etiam ad illum compositum sensum, in quo suppositio antecedens, et cui resisti non possit, involvitur et componitur, seu supponitur ad futurum effectum.

Dico tamen divum Thomam in illo articulo non loqui de motione Dei præveniente hominis voluntatem, quam Deus solus in ipsa faciat sine ipsius cooperatione, sed loqui de motione concomitante, seu cooperante ipsi voluntati se etiam moventi. Quod patet ex articulo sexto, quæstione nona, proxime præcedenti, ubi divus Thomas quærit an voluntas moveatur a Deo solo sicut ab exteriori

principio. Et respondet solum Deum posse movere voluntatem ut principium extrinsecum, ita tamen ut motus voluntatis semper ac necessario sit ab illa ut a principio intrinsecum. Affirmat ergo Deum quidem esse motorem extrinsecum voluntatis, non tamen solitarium, ut sic dicam, id est non sine ipsa talem motionem efficiendo. Illi ergo articulo respondet quartus quæstionis decimæ, quem tractamus, in quo ulterius inquit an Deus, sic movens voluntatem, necessitet eam, quod in hunc modum declarat: *Ad divinam providentiam non pertinet naturam rerum corrumpere, sed servare, unde omnia movet secundum eorum conditionem, ita quod ex causis necessariis per motionem divinam consequuntur effectus ex necessitate, ex causis autem contingentibus sequuntur effectus contingentes. Quia igitur voluntas est activum principium non determinatum ad unum, indifferenter se habens ad multa, sic Deus ipsam movet, quod non ex necessitate ad unum determinet; sed remanet motus ejus contingens, et non necessarius, nisi in his ad quæ naturaliter movetur.* In quibus verbis valde ponderandum est divum Thomam in hoc constituere contingentiam voluntatis create in operando, quia est activum principium non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa; item considerandum est quod, ut Deus non auferat hanc contingentiam, requirit ut ipsam ita moveat, quod non ex necessitate ad unum determinet, ut ita maneat ejus motus contingens, et non necessarius. Ergo tantum abest ut requiratur ex parte Dei talem præmotionem qua determinet voluntatem ad unum, ut potius sentiat illam determinationem excludere contingentiam et libertatem.

Sed inquit divum Thomam non postulare ut Deus non determinet voluntatem ad unum, sed verba ejus esse quod non ex necessitate ad unum determinet. Aliud autem est non determinare, aliud vero non ex necessitate determinare. Unde potius significasse videtur Deum quidem alio quodam modo determinare voluntatem ad unum, quamvis non ex necessitate determinet. Sed imprimis hoc modo vis magna infertur verbis ipsius; si enim D. Thomas dixisset: Deus determinat voluntatem ad unum non ex necessitate, haberet locum illa interpretatio; non autem sic dixit, sed ante posuit negationem, dicens: Non ex necessitate determinat, utrumque plane negans juxta naturam negationis; imo ideo negat determinare, ut necessitatem

etiam neget. Deinde hoc postulat consequentia sermonis, si recte expendatur; dixerat enim, quia voluntas est activum principium, non determinatum ad unum, sed indifferens, ideo esse principium contingenter operans. Et inde subjungit Deum, ut conservet hanc contingentiam, ita movere illud principium, ut non ex necessitate determinet ad unum; ergo, ut constanter et consequenter loquatur, absolute intendit negare determinationem, alioqui non explicaret quomodo principium illud indifferens et indeterminatum conservetur. Cum ergo interponit illam particulam, *non ex necessitate*, solum intendit Deum ita movere ut ex illa motione non necessario inferatur determinatio. Et præterea licet daremus divum Thomam non negare omnem determinationem, sed illam quæ est ex necessitate, sensus esset Deum non movere voluntatem imprimendo determinationem sola sua virtute, sed cooperando cum voluntate ad illam. Dupliciter enim intelligi potest Deum non ex necessitate determinare: primo, quia non ita sua sola potestate efficit determinationem in voluntate, ut voluntas ex necessitate illam recipiat; secundo, imprimere quidem determinationem quam voluntas necessario recipit, sed cum illa non operari ex necessitate. Hic posterior sensus involvit in se plane contradictionem, quia est contra formalem rationem talis determinationis, ut illa posita non ponatur actus, unde expresse etiam est contra verba D. Thomæ in solutione ad tertium, quæ contra nos afferuntur; ergo necessario retinendus est prior sensus, ita ut, non ex necessitate determinari, sit non determinari independentem a propria libertate; hoc autem est non determinari mere passive, non recipiendo ab alio determinationem, quia in mera passione non est libertas, et ideo talis determinatio esset independens a libertate, ac proinde esset ex necessitate. Perinde igitur fuit divus Thomas negare determinationem ex necessitate, ac negare determinationem a solo Deo impressam.

Quod apertissime ita explicuit D. Thomas in quæstione tertia de Potentia, art. secundo, ubi eandem tractat quæstionem an operetur Deus in omni operante, et in argumento decimo tertio, proponit eandem difficultatem, quod si voluntas nostra non posset operari, nisi Deo in ipsa operante, non esset domina sui actus, quia non est domina divinæ operationis; respondet autem *quod voluntas dicitur habere dominium sui actus, non per exclusionem*

*causæ primæ, sed quia causa prima non ita agit in voluntatem, ut eam de necessitate ad unum determinet, sicut determinat naturam.* Explicans autem quid necessarium sit ut Deus non ex necessitate determinet voluntatem, addit: *Et ideo determinatio actus relinquitur in potestate rationis, et voluntatis; ideo ergo determinatio non est ex necessitate, quia est ab ipsa voluntate libere efficiente determinationem, nam idem est dicere determinationem relinqui in potestate rationis et voluntatis, quod relinqui in libera hominis potestate, cum liberum arbitrium definitur, quod sit facultas voluntatis, etc.*

Præterea hoc constat aperte ex concordia aliorum locorum D. Thomæ. Nam in secundo, distinct. vigesima quinta, quæstion. prima, articul. primo, argument. tertio, sic objicit contra arbitrii libertatem: *Ad libertatem arbitrii pertinet ut aliquis sit dominus sui actus, sed cujuscumque agentis actus ab aliquo priori agente causatur, ipse agens non est dominus sui actus. Cum igitur cujuslibet creature actus in causam priorem reducat, quæ est ipse Deus, qui omnia opera nostra in nobis operatur, ut Isaia vigesimo sexto dicitur, videtur quod liberum arbitrium in creatura nulla invenitur.* Respondet autem: *Quod Deus operatur in omnibus, ita tamen quod in unoquoque secundum ejus conditionem, unde in rebus naturalibus operatur sicut ministrans virtutem agendi, et sicut determinans talem naturam ad talem actionem; in libero autem arbitrio hoc modo agit ut virtutem agendi sibi ministret, et ipso operante liberum arbitrium agat; sed tamen determinatio actionis et finis in potestate liberi arbitrii constituitur, unde remanet sibi dominium sui actus, licet non ita sicut primo agenti.* Itaque ut dominium actus in voluntate maneat, necesse est ut determinatio ad agendum in libera ejus potestate relinquatur. Quod non esset verum si determinatio a solo extrinseco agente imprimeretur; unde in corpore ejusdem articuli, pro regula constituit liberum arbitrium non inveniri in his agentibus quorum actiones non determinantur ab ipsis agentibus, sed a quibusdam aliis causis prioribus; et in solutione ad secundum, dicit Deum esse maxime dominum sui operis, quia determinationem voluntatis suæ habet a se longe altius quam homo, quia nec dependentiam in ea habet ab alio sicut homo; idemque sentit quæstione vigesima secunda de Verit., articul. quinto, ad quint., in contrarium, ubi indifferentiam

voluntatis opponit determinationi ad unum; et articulo sexto ad septim., ubi ait esse animæ non esse determinatum a seipsa, sed ab alio, *sed ipsa determinat sibi suum velle, et ideo quamvis esse sit immutabile, tamen velle indeterminatum est, ac per hoc in diversa flexibile*, ubi indicat rationem alibi a me tractatam, quod, si determinatio esset a solo Deo, non esset in potestate voluntatis illam mutare, neque actum suspendere, nisi prius Deus talem determinationem auferret. Quod valde absurdum est. Item quæst. sexta de Malo, artic. unic., ait Deum movere voluntatem secundum ejus conditionem, non ut ex necessitate, sed ut indeterminate se habentem ad multa, ubi aperte sentit quod auferre indeterminationem ad multa est inferre necessitatem, nam illa duo tanquam consequentia seu convertibilia ponit, non ex necessitate, et indeterminate se habere ad multa. Quocirca quoties D. Thomas ait Deum movere voluntatem modo illi accommodato, et ideo non necessitare illam, modus ille non consistit in hoc quod eam quidem prius determinet ad unum sua vi, tali vero modo non necessitet; quia talis modus non solum explicari non potest, sed etiam repugnantiam in se involvit, unde verbis etiam ejusdem divi Thomæ in aliis locis repugnat; modus ergo ille potius in hoc consistit quod Deus ita offert suum concursus ad movendam voluntatem immediate ad actum vel determinationem liberam, ut ad actualement motiōem semper spectet liber influxus ejusdem voluntatis. Et hoc ipsum est quod in dict. art. quarto, quem tractamus, solutione ad primum, ait D. Thomas, quod voluntas divina non solum se extendit ut aliquid fiat per rem quam movet, sed ut etiam eo modo fiat quo congruit naturæ ipsius, et ideo magis repugnaret divinæ motiōni, si voluntas ex necessitate moveretur, quod suæ naturæ non congruit, quam si moveatur libere prout competit suæ naturæ. Quæ posteriora verba sub eadem forma applicari possunt ad determinationem ad unum ab extrinseco illatam. Magis enim repugnaret divinæ motiōni, si voluntas ex determinatione ad unum ab extrinseco illata moveretur, quod suæ naturæ non convenit, cum ex se potius sit indifferens, quam si moveatur cum indeterminatione quoad exercitium, prout convenit suæ naturæ.

Denique hinc facile intelligitur de quo sensu composito loquatur D. Thomas in illa solut. ad 3, et qua ratione verum sit esse

impossibile quod, si Deus movet voluntatem ad aliquid, voluntas ad illud non moveatur; loquitur enim D. Thomas de motione actuali, seu in actu secundo, quæ non ponitur a Deo in voluntate, nisi influente simul ipsa voluntate, et ideo si supponitur poni a Deo, impossibile est non simul ponere quod voluntas ad id moveatur, non solum passive, recipiendo motionem Dei, sed etiam active, influendo in eandem, quæ unica est a Deo et ab ipsa, unde constat in illo sensu composito non involvi suppositionem antecedentem, ut vocant, sed concomitantem, tum quia actualis concursus Dei ad extra non est suppositio antecedens, seu conditio prævia, sed concomitans; tum etiam quia, eo ipso quod supponitur motio Dei, supponitur influxus liberi arbitrii, unde perinde est ac si diceretur: Si voluntas movetur dum determinatur, ipsa etiam se movet; vel etiam e converso dici posset: Si ponitur quod voluntas se movet, impossibile est ponere quod non moveat eam Deus; et utraque illatio fundatur in hoc quod illa motio essentialiter pendet a voluntate et a Deo.

Longe autem diversa ratio est de sensu composito, in quo suppositio est ita antecedens, ut non involvat influxum ipsius voluntatis, ac perinde non sit illi libera. Si enim, facta tali suppositione in voluntate, impossibile est non sequi motum ejus, impossibile est illud motum esse liberum voluntati, quia nunquam est in potestate libera ejus. Non enim ante suppositionem, quia nec suppositio ipsa est in potestate voluntatis, neque sine illa potest esse actus; neque etiam post suppositionem, quia illa posita jam est impossibile non habere actum. Nunquam ergo D. Thomas usus est distinctione sensus compositi in illo sensu, ad conciliandam libertatem cum divinâ motiōne; quin potius in multis locis significavit necessitatem antecedentem, quæ ex priori causa provenit, repugnare libertati, de qua re est insignis locus in 2 Physic., lect. 15, in princ.: *Sciendum est (inquit) quod necessitas quæ pendet ex causis prioribus est necessitas absoluta; et explicando hoc per singulas causas, de efficiente dicit: Et similiter quod habet necessitatem ex causa efficiente, est necessarium absolute; quod autem habet necessitatem ex eo quod est posterius in esse, est necessarium ex conditione, vel suppositione.* Ubi plane vult sensum compositum in quo ponitur conditio prior seu antecedens non

tollere necessitatem absolute, et talem esse putat necessitatem ex causa efficiente. At profecto si voluntas non operatur nisi supposita prædeterminatione a solo Deo, illa suppositio antecedens est, et si ex illa tam necessario sequitur actio, ut impossibile sit non sequi, necessitas illa ex causa efficiente est, quia, et determinatio est a Deo efficiente, et ipsa efficit ut actus consequens necessario fiat; est ergo illa necessitas absoluta. Unde idem D. Thomas, quæstione sexta de Malo, artic. unic., inquit, *dispositiones, quæ sunt in homine absque ejus voluntate, et non subjacent quoad effectum eidem voluntati, necessitatem inferre, et ideo ut voluntas non ex necessitate moveatur, necessarium esse ut, licet dispositio præcedat voluntatem, saltem usus ejus subjaacet voluntati.* Eadem autem ratio est de quacumque motiōne ab extrinseco illata, et præsertim ab efficiente et potentissima causa. Unde D. Thomas, 3 part., quæst. 46, artic. primo, distinguens varios necessitatis modos, inquit: *Alio modo dicitur aliquid necessarium ex aliquo exteriori, quod quidem si sit causa efficiens vel movens, facit necessitatem coactionis, ita appellans absolutam necessitatem, prout loquitur etiam 2 contra gentes, c. 29, dicens illam esse necessitatem absolutam, quæ dependet a causis prioribus, sive illa sint principia essentialia, sive causæ efficientes aut moventes, quod valde notandum est, ut intelligatur determinationem ad unum non minorem inducere necessitatem si ab extrinseco agente imprimatur, quam si esset innata ex principiis essentialibus, si alioquin habeat actus inevitabilem consecutionem ex utraque; imo quodammodo majorem esse necessitatem, quando determinatio est ab extrinseco in potentia de se indifferente, quia multum de violentia participare videtur, cum passo non conferat vim, nec talis determinatio sit naturæ ejus proportionata.*

Septimo obijciuntur multa ex eodem divo Thoma, 1. 2, quæst. 209, art. 1 et seq., ubi sæpius repetit naturam creatam, sive corporalem, sive spiritualem, quantumcumque in suo esse et virtute agendi ponatur perfecta, non posse aliquid operari sine auxilio Dei moventis, vel nisi moveatur a Deo; sed hæc loca habent eundem sensum quem explicuimus circa artic. 5, quæst. 105, prima p., et in lib. 1 de Auxiliis, c. 6 et 11, loca illa ex professo tractavimus, et ideo non censemus in illis esse amplius immorandum.

Octavus et celebris locus est ex quæst. 3

de Potentia, articulo septimo, ad septimum, ubi D. Thomas ait: *Id quod a Deo fit in re naturali quo actualiter agat, est ut intentio sola habens esse quoddam incompletum per modum quo colores sunt in aere, et virtus artis in instrumento artificis, per quæ verba plane docet Deum influere causæ secundæ aliquam virtutem realem et fluentem, quam intentionalem vocant; per illam ergo intelligit determinare causam secundam, et uti illa tanquam instrumento ad ejus operationem; de quo loco ingenue fatemur D. Thomam ibi ita sensisse; credimus tamen eum in ea sententia non permansisse, quia neque in Summa, neque in aliis libris Sententiarum et Contra gentiles, illum causalitatis modum Deo attribuit; imo sine illo declarat essentialem influxum primæ causæ, tam in causas secundas quam in effectus et actiones earum, atque ita tacite excludit modum illum, ut in lib. 1 de Auxiliis, cap. 11, n. 6 et 7, latius dixi; et revera nec intelligi vel explicari potest qualis sit illa intentio, vel quæ sit necessitas ponendi illam, ut ibidem ostendimus, atque hæc sint satis de primo capite testimoniorum divi Thomæ.*

Secundo loco afferuntur testimonia in quibus D. Thomas docet voluntatem, saltem in primo actu suo, moveri a Deo, et non a se. Nam 1. 2, quæst. 9, artic. 3, quærens utrum voluntas moveat seipsam, respondet movere seipsam in electione mediorum, quia per hoc quod vult finem, movet se ad volenda ea quæ sunt ad finem; et hac ratione dicit ibi in solutione ad primum, quod voluntas non secundum idem movet et movetur, sed, in quantum actu vult finem, reducit se de potentia in actum respectu eorum quæ sunt ad finem, ubi supponit ad ipsum actum quo vult finem non se movere, sed ab alio determinari. Quod consequenter et formaliter declarat in art. 4, ubi ita concludit: *Unde necesse est ponere quod in primum motum voluntatis voluntas prodeat ex instinctu alicujus exterioris moventis, ut Aristoteles docet; et in articulo 6, ad 3, ait quod Deus movet voluntatem hominis, sicut universalis motor, ad universale objectum voluntatis, quod est bonum, et sine hac universali motiōne homo non potest aliquid velle, sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc vel illud, quod est vere bonum vel apparens bonum; et de hoc motiōnis modo videtur loqui 1 part., quæstion. 105, artic. 4, cum dicit esse proprium Dei movere voluntatem, et per modum objecti sufficienter et efficaciter trahentis illam,*

et per modum principii efficientis in illa inclinationem ad universale bonum; loquitur enim de inclinatione vitali et elicita, nam de illa sic ait: *Velle nihil aliud est quam inclinatio quedam in objectum voluntatis, quod est universale bonum*; item de eadem motione videtur loqui 3 Contra gentes, cap. 89, rat. 6, et aliis locis.

Ex his autem testimoniis divi Thomæ primum libenter amplectimur, quod in eis expresse docet voluntatem determinare se ad electionem mediorum, nam hinc saltem habemus non esse necessariam prædeterminationem ad omnes actus ad quos eliciendos voluntas est de se indifferens. Nam certum est voluntatem, etiam postquam intendit finem, verbi gratia, sanitatem, manere indifferentem ad eligendum hoc vel illud medium, ut D. Thomas eisdem locis supponit et est per se certum, et nihilominus de tali voluntate ait divus Thomas seipsam movere, et seipsam determinare ad eligendum hoc vel illud. Ex quo evidenter colligimus prædeterminationem solius Dei non esse necessariam propter concursum primæ causæ, nam etiam ad electiones concurrat Deus ut prima causa: neque esse necessariam propter indifferentiam principii proximi, quod est voluntas, nam etiam principium proximum electionis, quod est voluntas actuata per intentionem finis, est principium indifferens: neque etiam esse necessariam propter supernaturalitatem actus; nam etiam in electionibus supernaturalibus voluntas determinat se, quia ex intentione proportionata finis, mediante consilio, se determinat ad hoc vel illud medium cum divinæ gratiæ adjutorio. Quod si hæc vera sunt, nullum relinquitur firmum fundamentum ad asserendum illam determinationem esse necessariam ad aliquem actum liberum.

Secundo, dicimus etiam primum actum voluntatis, qui dicitur voluntas simplex vel intentio finis, esse actum vitalem, ut per se notum est, ac proinde elicatum ab ipsa voluntate. Item esse actum liberum saltem quoad exercitium actus, etiamsi circa bonum vel beatitudinem in communi in hac vita habeatur, ut sentit D. Thomas 1 part., q. 82, art. 2. Hinc ergo constat voluntatem non ita moveri a Deo ad hunc primum actum, quin etiam ipsa se moveat motione physica et effectiva, quia ipsa efficit in se illum actum volendi seu intendendi finem, quem antea non habebat; est enim hoc de ratione actus immanentis et

vitalis, qualis est illa volitio. Atque simili ratione concluditur voluntatem seipsam determinare ad exercitium illius actus, quia, quoties voluntas libere operatur, necesse est ut suam determinationem efficiat, quia alias non esset determinatio libera. Accedit quod interdum illa intentio finis, vel voluntas simplex, potest esse peccatum, etiam mortale, quia potest esse de pravo fine, et cum sufficienti cognitione ad plenum dominium actuum; ergo determinatio ad illum non potest esse a solo Deo, quia hoc repugnat bonitati divinæ; cum ergo divus Thomas, in citatis locis, dicit voluntatem moveri a Deo ad hujusmodi actus, non ideo dicit quia solus Deus efficiat talem actum, nec quia Deus solus determinet voluntatem efficaciter ad unum, nec etiam id dicit propter solum concursum generalem causæ primæ; nam hic concursus ejusdem rationis est in illo actu et in cæteris; igitur id dicit solum quia ille actus, quando est naturalis ordinis (nam de supernaturalibus statim dicemus), oritur ex sola voluntate, ut principio proximo operante ex aliqua naturali inclinatione a Deo recepta, in quo differt ille actus ab electione, quia electio jam non procedit a nuda voluntate, sed ut affecta intentione quam ipsa sibi comparavit.

Unde tertio constat in omnibus citatis locis solum attribuere D. Thomam hujusmodi voluntatis actum Deo ut primo motori, quatenus ipse solus dedit voluntati inclinationem ad bonum in communi, ex qua ille actus nascitur, sicut motus gravium et levium solet attribui generanti; hoc enim exemplo in eisdem locis sæpe D. Thomas utitur, quod semper intelligendum est secundum id ex quo sumitur similitudo, servata differentia quoad modum motionis quam exigit natura voluntatis; est autem duplex differentia: una est quia naturalis motus procedens a gravitate vel levitate non requirit præviam cognitionem quam requirit actus voluntatis; quæ cognitio in ordine ad primum actum voluntatis non potest esse ex applicatione et motione ejusdem voluntatis, quia supponitur actus voluntatis esse primus, ante quem non præcedit alius; quod si alius præcederet ante illum, etiam debuisset præcedere alia cognitio quæ non esset ex voluntate, et ita ne procedatur in infinitum, sistendum necessario est in cognitione, quæ non sit a voluntate, quæ necessario esse debet ab aliquo exteriori movente, de quo maxime videtur loqui divus Thomas in illo articulo quarto, quæstion. nona, prima se-

cundæ, cum concludit: *Necesse est ponere quod in primum motum voluntatis voluntas prodeat ex instinctu alicujus exterioris moventis*; nam illam conclusionem inde elicit, quod ille primus motus voluntatis non potest esse ex consilio quod supponit aliam voluntatem, sed ex naturali aliqua apprehensione vel simplici judicio intellectus, quod naturale est, et ideo auctori naturæ tribuitur. Hinc vero colligit Cajetanus ibi talem primum actum voluntatis, licet sit effective elicatus ab ipsa, tamen ut est ab ea, non esse propter finem, sed tantum esse simplicem tendentiam in finem ex directione superioris agentis ordinantis ipsam in talem finem, in quo dicit convenire hunc actum cum motu gravium et levium, ac propterea tribui auctori naturæ, sicut motus gravium tribuitur generanti; sed hoc mihi non probatur, quia existimo et amorem et intentionem finis esse actus vere elicitos propter finem, ut probavi in disputation. 26 Metaphysic., sect. 3. Unde non etiam proba quod ibidem Cajetanus ait, illum primum actum non esse a voluntate ut applicante se ad volendum, quia ad hunc modum applicandi se necessarium est agere propter finem, et ad agendum propter finem necessarium est ut præcedat intentio finis. Dico tamen, ad agendum propter finem satis esse agere propter bonitatem finis distincte et formaliter cognitam, ut dicto loco declaravi. Ad volendum autem, applicando se ad volendum, satis est quod ipsa volitio sit libera, et quod in illam se flectat voluntas, etiamsi non supponatur determinata ad unum. Atque hæc est secunda differentia inter hunc motum voluntatis et motum gravis, ratione cujus negari non potest, quin voluntas in hoc actu non solum se moveat physice, sed etiam moraliter se applicando et determinando ad volendum.

Nihilominus tamen D. Thomas usus est illo modo loquendi ad declarandum, illum primum actum, tametsi vitalem et liberum, oriri ex aliqua simplici et naturali inclinatione voluntatis, et hoc titulo tribui auctori naturæ, quamvis, quia usus illius inclinationis subjacet dominio voluntatis, idem actus simul sit ab ipsa voluntate se applicante ad opus. In quo est etiam considerandum, in illo actu, quatenus liber est, comparisonem quamdam virtualiter fieri vel ad actum oppositum cui præfertur, si talis actus sit liber quoad specificationem, vel ad carentiam ejusdem actus, si sit liber solum quoad exercitium. Ut si sit amor sanitatis, præfertur odio; si vero sit

actualis amor beatitudinis in communi, præfertur carentiæ ejusdem amoris. Hæc autem comparatio includit etiam virtualement et voluntariam electionem amoris præ odio, vel actualis amoris potius quam odii seu carentiæ ejus; quia ergo omnis electio supponit aliquam intentionem, videtur necessarium hunc actum procedere ex priori intentione. Quoad hoc ergo ait D. Thomas non procedere ex priori intentione elicita, quia procederet in infinitum, sed ex inclinatione naturæ, quia natura rei est primum in unoquoque, et omnis motus procedit ab aliquo immobili, ut idem dixit 1 part., quæst. 82, articul. 1. Sub hoc ergo respectu dicitur talis actus esse ab auctore naturæ et ex universali motione in bonum in communi, media inclinatione naturali quam ipse imprimit; per hoc autem non excludit D. Thomas quin particularis determinatio, vel quoad specificationem vel quoad exercitium, quæ in tali actu intervenit, sit ab ipsa voluntate; imo hoc expresse dixit in eisdem locis quæ in objectione citantur.

Superest dicendum de tertio capite testimoniorum, in quibus divus Thomas, de gratia et prædestinatione loquens, hoc genus motionis exigere vel saltem admittere videtur. Primum sumi potest ex prima secundæ, quæstione nona, articulo sexto, ad tertium, ubi cum dixisset divus Thomas Deum movere voluntatem hominis ad universale objectum ejus quod est bonum, tanquam universalem motorem, et sine hac motione nihil posse hominem velle, quamvis ad volendum hoc vel illud particulare bonum homo se per rationem determinet, subjungit hæc verba: *Sed tamen interdum specialiter Deus movet aliquos ad aliquid determinate volendum, quod est bonum, sicut in his quos movet per gratiam, ut infra dicitur*; ergo saltem ad actus gratiæ requirit motionem Dei prædeterminantem.

Respondeo imprimis ex hoc loco haberi Deum non dare specialem motionem ad aliquid determinate volendum, nisi illud bonum sit absolute et simpliciter, quod solum dicitur de bono honesto, præsertim apud Theologos; estque considerandum in proximis verbis præcedentibus dixisse D. Thomam voluntatem determinare se ad illud quod est vere bonum, vel apparens bonum; in his vero ultimis verbis, in quibus ait Deum interdum movere ad aliquid determinate volendum, solum addidit: *Quod est bonum*, quia oportet ut